

separant, quemadmodum iudæi a fide patrum per quam Christo adhuc futuro iungebantur, discesserunt, Christum dominum multipliciter blasphemantes. Ideoque eisdem dominus suam desolationem perpetuam prædixit in verbo thematis. Omne regnum in se &c. Pro gratia Aue Ma. Primo euangelium. Secundò euangelii per doctrinam profectio. Erat Iesus eiciens dæmonium, & illud erat mutum.

Omne regnum in se diuisum desolabitur. Præter regna in introductione commemorata, est & aliud regnum particulare cuiuslibet hominis singularis temporis plus conueniens, secundum illud Hugo. in de regno animæ. Nobis regnum possidet, qui cor suum possidet. Cor non utique carnale, sed spirituale, animam scilicet. Nam omnes nos fecit Christus regnum, & sacerdotes Deo patri. Apocal. 1. & 5. Huic regno est voluntas præfideri in esse naturali, longè tamen nobilior rex præfideri in esse gratuito, & spiritali.

Hic rex est spiritus sanctus, De quo propheta. Ipse reget nos in secula. Regit inquam, per gratiam, & iustitiam in vitam æternam. Roma. quinto. Si autem regnum nostrum ab illo rege diuiditur, haud dubium quin perpetua desolatione desolabitur. Diuiditur autem ab hoc rege per mortale peccatum. Coniungitur per penitentiam. Hæc enim necessaria est longè postis à Deo ut appropinquent, ait Magister distinctio. decimo quarto lib. 4. Ad quam factis vos adhortata est ecclesia per euangelicas doctrinas. Nunc metu pene, nunc spe veniæ, nunc diuini amoris dulcedine, ad extremum etiam suis ipsius dilectione.

In præsentis verò euangelio quantum ad nos pertinet, instruit quomodo ad ipsam præparemur, quomodo denique ea adepti, à fine eius, salutis scilicet fructu non frustremur. Quatuor enim ad litteram præfens euangelium continet puncta, quæ sunt detestabilis Iudeorum blasphemia, Christi excusatio mansueti, damnabilis perfidorum re-

cediatio, Mulierculæ laudatio acceptata. Ex quibus quatuor elicere poterimus regulas, quibus seruatis, nostra conuersio redditur fructuosa.

Quo ad primum narrat euangelista detestabilem inuidiosissimum Iudeorum blasphemiam. Nam cum dominus misericordiam suam venas aperuit, ac benignissime in eodem homine triplex sanitatis beneficium contulit, quoniam dæmonem expulit, cæcum illuminauit, vt Matt. dicit cap. duodecimo, & mutum loqui fecit, vnde & popularis turba in admirationem utique laudis excitata est dicens. Nonne hic est filius Dauid, vt dicit Mattheus? Perfidissimi pharisæi, & scribæ Deo honorem subtraxerunt, & alii principi dæmoniorum attribuerunt. Alii hæc signa paruipendentes, de cælo maiora miracula expectabant.

Ex quo nos hanc doctrinam attendamus, Vt quicumque à peccato liberari desiderat, ac per penitentiam conuertatur ad Christum, extrinsecam emendationem non expectet, sed seipsum emendare per bonæ voluntatis propositum non retardet, quoniam vt Chryl. ait Homil. trigesimo nono. Qui seipsum corrigere, & emendare voluerit quod in seipso est, atque in potestate eius explere, nullus ei extrinsecus proderrit.

Et in lib. primo de compunc. cor. ait. Ad eos, qui nec initium faciunt conuerti ad Deum, gratia omnino neuenit, imò quod magis est peruersis animis exteriora adhibita beneficia officiant, magisque indurant. Nunquid gratia domini nostri coram pharisæorum oculis misero impensa, quæ turbis causa fuit admirationis, de priuatis eorum animis occasio fuit blasphemiarum? Et quod illis fuit in resurrectionem, istis cessit in ruinam secundum prophetiam Symeonis. Luc. secundo. Reuera sancti propositi viris omnia etiam mala, etiam propria commissa peccata cooperantur in bonum. Sunt enim eis occasio maioris dilectionis Dei tanta peccata misericorditer remittentis